DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE ἈΝΟΡΕΞΙΑ.

QVAM,

ANNUENTE DEO TER-OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris

D. PHILIPPI REINHARDI VITRIARII,

J.U.D. ejusdemque Facultatis Professoris Ordinarii.

NECNON

Amplissimi Senatus Academici unanimi Consensu, & Almæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*


PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,

Publico examini subjicit

DAVID FERRY, METENSIS.

Ad diem 14. Decembr. horis locoque solitis



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. MDC XCIII.

Graviſſimo, Prudentiſſimo, Conſultiſſimoque

VIRO

D: FERRY, J. U. D.

in ſupremâ Curiâ Metenſi Advocato integerrimo, facundiſſimo, Legum vindici ac aſſertori acerrimo, ſtrenuiſſimo, Parenti meo multis nominibus filiali amore & reverentiâ, ad rogum uſque, proſequendo

Huncce ſtudiorum ſuorum fœtum

offert, vovet, conſecrat

DAVID FERRY, Metenſis
Auctor & defendens.





DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS.
DE

Α'ΝΟΡΕΞΙΑ.

PROOEMIUM.



agni intereſſe, ſi quid peccetur in ventriculi affectibus docet prudens Guil. Ballonius, *nec non acutiorum Medicorum praxis; qui in morborum curatione illius robori ſemper conſulunt, hanc microſcoſmi noſtri partem tanquam multarum ærumnarum ut & commodorum, fontem intuentes: ac ſanè ſicuti hederam ſuſtentant murorum rudera, pariter ab illis conſervatur & erigitur, ita ut neutrum ſine altero poſſit exiſtere; ita etiam ventriculus officio ſuo ritè* fun-

fungens, corpus nostrum restituit, ipsius vires auget, functionibus animalibus auxiliatrices manus præbet: ita ut sanguis adsit pro nutritione, spiritus pro sensu & motu, fermentum & calor pro ciborum coctione, tandem ut uno complectar verbo, omnia sana in corpore nostro existunt: contrarium autem evenit, si error aliquis in ventriculo committatur. Ideò consuetudini, quæ in hâc Academiâ invaluit, satisfacturus, haud abs re esse judicavi, si Mathematicorum more, qui omnia centro ac spatio circumscribunt, plurimorum morborum originem ex hoc corporis nostri lebete haurirem, & pro Lemmate meæ Disputationis Α'ΝΟΡΕΞΙΑΝ *præ aliis mihi eligerem, ac eam, quanquam penicillo rudiori delineem, sed in omnibus me rebus subjicere enixurus, obiter exponerem, fastidiosisque concoctionem, appetitum procurare & conciliare adniterer; à* LECTORIBUS BENIGNIS, *veniam poscens, si omnibus in rebus eorum exspectationem non expleam; nec non supremi Numinis præsidium submissè precans, ut & hæc quæ nunc sum molitus, & quæ deinceps aggrediar in Sui gloriam, Proximique levamen semper cedant.*

THESIS I.

Ordinis gratia, & ne à communi viâ in Medicorum scholis tritâ, deviare videar, initium sum facturus à vocis Etymologiâ: Α'νορεξία igitur est vox Græca, & quidem composita ex α privat. ν epenthetico & ὄρεξις appetitus, hoc est, sine appetitu: Sed ne tempus inutiliter teram ad ipsam morbi definitionem me conferam.

THESIS II.

Describitur *Anorexia*, quòd sit appetitus prostratus cum insolito ciborum fastidio fermenti, ventriculi vitio introductus. Malè ergo isti Auctores faciunt, qui *Anorexiam* per fermenti ventriculi depravationem definiunt; magna enim est differentia inter appetitum prostratum, & inter ventriculi depravationem,

ista

iſta quidem fermenti depravatio obſervatur in Picâ & Malaciâ; Pica enim, quæ nomen ſuum accepit ab avi admodum voraci, nihil aliud eſt quàm appetitus abſurdus & depravatus rerum inſuetarum, Malacia autem eſt appetitus abſurdus rerum conſuetarum, ſed crudarum; plerumque in gravidis hic morbus obſervatur.

THESIS III.

Multæ differentiæ appetitûs proſtrati ab Auctoribus ſunt enarratæ, nempe Ἀνορεξία tanquam ſupremus: δυσορεξία verò tanquam minor gradus; Prior eſt quædam ſpecies ſine nauſeâ & abominatione: Poſterior eſt ciborum faſtidium. Sed quæſo quid opus eſt entia multiplicare ſine neceſſitate, cùm omnes iſtæ differentiæ ad *Anorexiam* optimè poſſint referri. Præterea diſtinguendum eſt inter Anorexiam & Dyſpepſiam, in omni Anorexiâ eſt Dyſpepſia, ſed non in omni Dyſpepſiâ eſt Anorexia. Antequam verò ad cauſas progrediar, quid ſit fames ſum explicaturus.

THESIS IV.

Deſcribitur fames, quòd ſit ordinaria nervorum vellicatio à fermenti ventriculo orta, ita ut ſpiritus animales verſùs ſenſorium commune determinentur, unde mens ideam famis concipit, atque de cibo ſumendo cogitat, qui cogitationis modus appetitûs nomine venit: in fame ergo duæ actiones ſunt conſiderandæ. 1. Actio naturalis ratione cauſæ ſtimulantis, quæ conſiſtit in acore fermenti. 2. Animalis reſpectu perceptionis, quæ fit per ſpiritus animales, animæ ſenſitivæ emiſſarios: ex his ſatis patet fermentum eſſe in ventriculo adeò neceſſarium, ut ſine illo nulla adeſſet fames, nullus appetitus. Illi ergo hallucinantur, qui negant ventriculi fermentum. Sed hoc ſufficit de fame. Jam ad ſigna tam diagnoſtica quàm prognoſtica & ad cauſas varias tam internas quàm externas progrediar.

THESIS V.

Cauſa generalis eſt defectus vellicationis in ſenſili ſtomachi orificio à fermento acido volatili; quod anſam dedit Helmontio putandi animam noſtram in ſenſili iſto orificio ſedem habere. Iſta autem cauſa eſt, vel in orificio ſtomachi nervoſo vel in fermento: Quoad orificium nervoſum deficit vellicationis

ſenſus vel ab obſtructione quâdam in pari vago vel ſexto, vel à ſpirituum animalium defectu in corpore; ſic nervi ſive per eſſentiam ſive per conſenſum malè ſe habeant, Ἀνορεξίαν inferunt.

THESIS VI.

Quoad ventriculi fermentum variis afficitur modis, & proptèrea ordinariò *Anorexiam* inferre ſolet: nam vel planè deficit in ſtomacho, ut videre eſt in febribus; vel quando principiis activis eſt exhauſtum, quale in ſenibus ſæpius obſervatur; vel quando à copioſâ materiâ craſſâ, viſcidâ, eſt obrutum; vel quando redditum eſt iners à materiâ pingui. Hæ ſunt præcipuæ cauſæ internæ, nunc ſequuntur cauſæ procatarcticæ, quas nunc ordine clarè & diſtinctè explicabo.

THESIS VII.

Cauſæ procatarcticæ ſive externæ petendæ ſunt ex rebus ſex non naturalibus, inter quas primò eſt aër intensè calidus; qui *Anorexiam* ſolet inferre, & quidem propter duas rationes. 1. Quia à calore pori corporis noſtri valdè aperiuntur, unde multæ particulæ volatiles per iſtos poros avolant. 2. Certum eſt in aëre calido multos ſales volatiles reperiri, qui debilitant fermentum; hinc eſt quòd æſtivo tempore dejectus ut plurimum ſit appetitus, contrà autem tempore hiberno eſt auctus propter particulas acidas, quibus aër eſt imprægnatus.

THESIS VIII.

Salivæ defectus appetitum proſternit, quia à ſalivæ defectu alimenta non benè digeruntur, ſaliva autem multum contribuit ad Fermentationem, in ſalivâ enim particulæ acidæ & ſalinæ tam multæ reperiuntur, quæ ab effectu facilè probari & oſtendi poſſunt; nam vi ſuâ acidâ necat araneas, & farinam fermentare facit: unde etiam ex experientiâ notum eſt quòd decem boli benè maſticati, & ſalivali menſtruo humectati, felicius in ventriculo coquantur, quàm unus non maſticatus: hinc fit ut voraces tot morbis ſint obnoxii.

THESIS IX.

Alimenta oleoſa *Anorexiam* producunt, ab oleis enim & à pinguedine iners redditur ventriculi fermentum, quia acidas fermenti particulas involvunt & obtundunt. Hinc *Sennertus lib: 3. Prax: part:* 1. *Sect:* 2. *cap:* 2. habet exemplum ex Avicennâ

nâ, de quodam cui per dies decem appetitus fuerit dejectus ex assumptâ librâ unâ olei violacei, in quo cera & adeps dissoluta fuerint.

THESIS X.

Cibi quantitate vel qualitate assumpti similiter appetitum prosternunt, quoniam à ventriculi fermento non fuerunt ritè concocti, sed relinquunt copiosam materiam, crassam, atque viscidam, à quâ ventriculi fermentum obruitur, quo minus vim suam acidam exerere possit; unde gulones huic morbo sunt obnoxii, qui se unâ vice plus ingurgitant quàm par est.

THESIS XI.

A potu nimio *Anorexia* potest oriri, diluendo fermentum digestivum, in specie seri lactis usus nimius, quia obtundit & temperat fermenti stomachici acrimoniam; tale exemplum habet *Timæus*.

THESIS XII.

Spiritus vini immodicè sumptus ordinariò appetitum prosternit, quoniam fermenti nostri acrimoniam nimis supprimit: cerevisia & potus non benè defœcatus, præsertim illa recentior idem facit, ob fœces & partes crassas.

THESIS XIII.

Copiosus fumus tabaci *Anorexiam* adfert, quatenus orificium stomachi insensibile reddit, ob sales volatiles oleosos penetrantes, & ob vim narcoticam & stupefactivam; Hinc Milites & Nautæ usurpant tabaci fumum pro fallendo appetitu, idem faciunt opiata & narcotica, laudanum opiatum, & omnia ex opio parata.

THESIS XIV.

Appetitus noster sæpè prosternitur à medicamentis malè usurpatis, quoniam vel ipsum fermentum enervant, vel alimenta fermentationi inepta reddunt, nempe sunt illa omnia quæ figunt atque incrassant.

THESIS XV.

Somnus immodicus *Anorexiam* producit, & quidem propter duas rationes. 1. Quia somnus immodicus potest indicare spirituum animalium defectum. 2. Quia à somno immodico sanguis fit crassior, & per consequens omnes corporis nostri humo-

mo-

mores fiunt craſſi, nam qualis ſanguis, tales ſpiritus, tales humores, tale fermentum.

THESIS XVI.

Vigiliæ nimiæ appetitum proſternunt, quia reddunt ſanguinem craſſum ob magnam partium volatilium diſſipationem; eædem ſunt rationes de motu & quiete in exceſſu, de ſuppreſſis evacuationibus conſuetis, & de animi pathematibus ad triſtitiam, nam hæc omnia ſanguinem craſſum & viſcoſum reddunt.

THESIS XVII.

Non ſolùm *Anorexia* à cauſis tam internis quàm externis jam enarratis, ſed aliquando per ſympathiam ſeu per conſenſum oritur, ut patet in nephritide, ubi nervi meſenterici levi ſpaſmo & convulſione afficiuntur; unde non tantum dolorem excitant, ſed præterea ſunt in cauſâ quominus fermenti ſtomachici vellicatio percipi poſſit, quia ventriculus multos nervos communes cum nervis meſentericis habet, etiam ab affectibus inteſtinorum ventriculus valde afficitur: Aliquando calculi ventriculo contenti appetitum proſternunt. Sic *Höfferus in Hercule medico p: m*: 137. ſubminiſtrat exemplum appetitûs proſtrati lethalis cum nauſeâ ex calculis duris & copioſis in ſtomacho repertis: Sed ne ſim longior ad ſigna diagnoſtica & prognoſtica progrediar.

THESIS XVIII.

Signa diagnoſtica ſunt pauca, nam præcipua per ſe ſunt clara, ſed tamen aliquando adeſt dolor gravativus præcordiorum, imò & acutus; ſi autem ab humoris pituitoſi abundantiâ oriatur, tunc nauſea cum vomitu adeſt, ructus varii, ſi autem à cruditate acidâ oriatur, tunc ructus ſunt acidi, & nonnunquam moleſti.

THESIS XIX.

Quoad Prognoſin ſpectat, quemadmodum bona appetentia in omnibus morbis eſt laudabilis, ut docuit *Hipp. Sect.* 2. *aph.*33. Sic etiam inappetentia ſemper malum eſt ſignum, benè etiam *Gal. lib.* 1. *de Aliment. facult*: dicit ſine alimento nec ſani nec ægri vivere poſſunt. Inducere tamen poteſt atrophiam, lipothymiam, cardialgiam & ſimilia ſymptomata plura: illa quæ oritur à ventriculi & lienis Schirris eſt incurabilis. In morbo diuturno cibi faſtidium, malum *Hipp. Sect. VII. aph.* 6. In convaleſcentibus ci-

cibi faſtidium recidivam, propter reliquias materiæ morbificæ inappetentiam producentes. *River. lib. IX. p.* 273.

THESIS XX.

Curatur *Anorexia* pro cauſarum diverſitate, tamen communiter per ſalina & acida volatilia ſolet curari, per omnia ſtomachica, ut & vomitoria & purgantia; ſed tamen quoniam unum vomitorium plus purgat in ſtomachi affectibus quàm purgantia, vomitoria purgantibus præferuntur.

THESIS XXI.

Quando *Anorexia* à copioſâ materiâ, craſſâ, viſcidâ eſt orta, tunc vomitoria ſunt adhibenda, talia ſunt vinum emeticum ad ℥j. vel ʒij. pro delicatis commiſcentur cum aquâ Cinnamomi; Vitriolum Album ℈j in aquâ card: bened: & aq: ſimpl: tartarus emeticus ℈ß cum conſerv: roſar: albar: hæc vomitoria ſunt egregia & tuta, ſed pro doſibus maximè attendendum eſt ad ætatem, ſexum, vires, & alia. Pro iis qui non ſunt apti ad vomendum purgantia ſunt præſcribenda; aloë admodum convenit tam propter blandam vim purgandi, quàm propter amaritiem. Aloë lota non debet ſumi *vide Helmont.* Pilulæ Francofurtenſes conveniunt. *River. lib.* IX. *p.* 273. commendat pilulas de hierâ ad ℈ij. vel ʒj mane duabus horis ante paſtum.

pro fortibus potius

THESIS XXII.

Poſt vomitoria aut purgantia ſtomachica ſunt adhibenda qualia ſunt menth: abſinth: rad: ariſtol: rotund: centaurium, omnia aromata conveniunt, qualia ſunt cinnam: piper, rad: Zedoar: & ari dicuntur ſpecificè. *Timæus* commendat eſſent: panis cum vino malvatico deſtillatam, ejus autem ſpiritus inter ſtomachica referuntur: vide *Etmull: de fame læſâ p:* 99. *Sylvius in ſua Praxi p:* 118. commendat Sal ſuccini, Sal ammoniacum & ejus ſpiritus, hæc quidem poſſunt convenire, quoniam humores craſſos ac viſcidos incidunt. Acidiuſcula conveniunt, qualia ſunt ſucc: citri & aurant: ſpiritus nitri, ſpiritus Salis dulc: aqua prophylactica Sylvii, elixir prop: Paracelſi. In eo tamen debemus attendere, quòd omnia ſtomachica debeant eſſe temperata, ne fortioribus remediis calorem vel augeamus vel extinguamus, & ne fermentum reddatur acrius vel debilius, præſtat enim paucâ doſi & per intervalla remedia ſtomachalia ex-

hibere quàm uno impetu ventriculum remediorum mole obruere.

THESIS XXIII.

Si *Anorexia* à spiritûs vini usu nimio oriatur, tunc ut plurimum juvat spiritus acidus dulcis, ut & elixir prop: ritè paratum: illa autem quæ est orta à potu nimio vel aquæ vel seri lactis, vinum generosum parcè exhibitum optimè convenit, si autem fuerit orta à bile, tunc corrigenda est spiritu salis dulcis, vel si magna copia esset in ventriculo per vomitorium est evacuandum. Si autem à nervorum quâdam obstructione oriatur, tunc antiparalytica sunt adhibenda, si autem alia adsint symptomata specifica sunt addenda.

THESIS XXIV.

Externè scuta sive stomachalia applicantur, ut cerotum de cumino nobilatatum balsamo sulphuris anisato, olibanum, mastiche, nux moschata, caryophilli aromatici, ol: ment: & similia incorporentur pro scuto & stomachali. *Etmull: de fame læsâ p:* 103. tanquam expertum remedium commendat pellem vulturis in formâ triangulari admotam.

THESIS XXV.

Diæta qualis esse debeat patet ex antecedentibus, evitentur omnia quæ generant sanguinem crassum, oleosa, aquosa & fluida in magnâ quantitate assumpta fugienda sunt, vivat secundùm rerum non naturalium normam, suppressæ evacuationes consuetæ arte vel naturâ respondeant, evitentur omnia animi pathemata. Ut, gaudium, ira, &c.

SOLI DEO GLORIA.

A N-

ANNEXA.

I.

Semen virile agit in sanguinem mulieris ut fiat conceptio.

II.

Fœtus duabus est obvolutus membranis, amnio & chorio, tertia in brutis tantùm observatur.

III.

Fœtum per umbilicum nutriri probabile mihi videtur.

IV.

Fœtus cogitat in utero. probet experientia

V.

Essentia animæ est τὸ cogitare.

VI.

Anima non est forma hominis.

VII.

Mentis cum corpore conjunctio in reciprocâ actione & passione consistit.

VIII.

Clara & distincta perceptio nunquam fallere potest.

IX.

Animam esse vel sedem suam habere in glandulâ pineali affirmo. ut bonus Carthesius.

X.

Absurdum est dicere, bruta animalia habere animam. habent animam brutorum.

XI.

Inter animam rationalem & sensitivam nullam agnosco differentiam.

XII.

Communicatio nervorum fit solùm in cerebro, & in plexibus nervosis.

hanc in quibus consistere non facile dictu est

XIII.

Memoria consistit in quibusdam plicis & vestigiis fibrillis cerebri impressis.

XIV.

Nullus naturæ sensus fit sine tactu.

XV.

Motus musculorum consistit in sola contractione.

XVI.

Diastole seu dilatatio musculorum non est motus.

XVII.

deferri constat.

Chylum deferri ad massam sanguineam per vasa meseraica nego.

XVIII.

contra Newtonum

Vacuum nihil est: quapropter materiam aliquam subtilem, omnium corporum spatia replentem, dari necessarium est.

XIX.

haec mulierculis innotescat

Colores non magis sunt in objectis, quàm dolores in corporibus scindentibus.

FINIS.

O R-

ORNATISSIMO DOCTISSIMOQUE JUVENI

DOMINO DOMINO

DAVIDI FERRY

Cùm poſt Diſputationem Inauguralem acriter Defenſam

DE

ANOREXIA

Omnium applauſu Medicinæ Doctor crearetur

Die 14 Decembris Anni 1693.

ΑΚΡΟΣΤΙΧΙΣ.

Dum	*Defendentis*	*Domini*	*Deſcriptio*	*Docta,*
Attentis	*Arridet*	*Apollinis*	*Artis*	*Alumnis;*
Ventriculum	*Validis*	*Vitiis*	*Variis*	*Violentis*
Indicat	*Imprimis*	*Infectum*	*Inſigniter;*	*Iſtâ*
Doctrinam	*Dominum*	*Dicunt*	*Docuiſſe*	*Diſertam.*
Fatales	*Febres*	*Felici*	*Fine*	*Fugabis.*
Errantes	*Expelles*	*Expugnabis,*	*Et*	*Exin*
Repperient	*Raptum*	*Robur*	*Relevamine*	*Raro,*
Rite	*Reviviſcent*	*Rectè*	*Rurſus*	*Revaleſcent*
Inde	*Innoteſces*	*Infirmis*	*Inclytus*	*Ipſe.*

Poſita Amico ſuaviſſimo

A Johanne Paulo Gaillardo
Jac. Fil. M. Cand:

A MON-

A MONSIEUR

DAVID FERRY.

Docteur en Medecine, sur Sa reception.

FERRY *je t'ay promis des vers,*
Cette promesse m'embarasse;
Autrefois il est vrai, j'ay grimpé le Parnasse,
Mais ma Muse à present pense tout de travers.
Cette impitoyable mutine
Ne cherche que les champs, n'aime rien que les bois,
Par tout ailleurs elle est chagrine,
Elle est sans vigueur & sans voix.
Cependant cher FERRY, *elle s'est mise en tête*
De faire un noble éfort pour celebrer ta fête,
Et dans cet Auditoire elle vient t'avoüer,
Qu'il n'est rien qui ne cede à l'objet qui l'excite,
Et que comme elle doit avoüer ton merite,
Aprez l'Academie elle doit te loüer.

DE LA CONTIE.

Vir-

Virtute & Doctrinâ

Ornatissimo Viro - Juveni

DAVIDI FERRY,

Cùm post dissertationem habitam

DOCTOR MEDICINAE

Totâ plaudente Coronâ renunciaretur,

Lugd. Bat. die 14. *Decemb. Greg. A. vulg.* 1693.

Præmia larga Rubro grati tribuêre Quirites:
Præmia & Albutio cautus Apollo dedit:
Græcia, quas meruit domito Tirinthius apro,
Laudibus Hippocratem tollit ad astra suum.
Dum catus inquiris morborum in semina FERRY,
Quàm sis Pœoniâ gnarus in arte probas.
Urget amor, pietasque tuos celebrare labores,
Sed jubet insuetam sollicitare Lyram.
Gnato Phœbe, tuâ qui morbos Arte levabit,
Adsis, & studiis præmia digna dato:
Surgite Pierides, numero hunc asciscite vestro;
Alter en Hippocrates, alter Apollo venit.

Ita cecinit L. F. BONETUS
φιλίατρος.